

SPECIMEN ACADEMICUM  
DE  
*VIRTUTE A VIRTUTIBUS DISTINGUENDA*

---

Q V O D

*Conf. Ampl. Fac. Philos. ad Reg. Acad. Aboënsē,*

PRÆSIDE

*FRANC. MICH. FRANZEN.*

*Phil. Pract. et Hist. Prof. Reg. et Ord.*

PRO GRADU

PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERT

*CHRISTIANUS CASTRÉN.*

*V. D. M. Ostrob.*

In Auditorio Majori die XXX. Mart. MDCCCV,

H. a. m. f.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

ADMODUM REVERENDO VIRO  
PASTORI ECCLESIARUM IN KEMI, TERVOLA ET SIMO  
NEC NON  
PRÆPOSITO CONTRACTUS ADJACENTIS  
MERITISSIMO,

*Præclarissimo D: no Magistro*

MATTHIÆ CASTRÉN,

*Fratri indulgentissimo,*

*Inter undecim liberos parentibus orbatos,*

*Ceterorum Patri*

*Gratum testatur animum*

*Carissimi nominis*

cultor observantissimus  
CHRISTIANUS CASTRÉN.



**A**d virtutem unumquemque mortalium, rationis com-  
potem, esse obligatum, omni constituit ævo a). Ad-  
huc tamen quæritur: quid sit virtus? Nec in scholis tan-  
tum quæritur, ut sit materia disputandi; sed in vita quo-  
que communi iudicia hominum de morali hominis di-  
gnitate variis impediuntur difficultatibus. Quarum hæ-  
cere præcipuæ sunt. Primum, etsi homini unicuique ipsi  
tribuenda sit honestas sua, sæpius tamen vel naturæ vel  
fortunæ debita esse videtur: cum et certis familiis, gen-  
tibus,

A

tibus,

---

a) Quod immortalis KANT (Tugendlehre Einl. p. 46) pla-  
cet paradoxon: *Die Tugend zu besitzen ist nicht  
Pflicht; denn sonst gäbe es eine Verpflichtung zur  
Pflicht*: id facile tollitur, sublata ambiguitate vocabuli  
officii. Quod scilicet nunc ipsam obligationem significat,  
nunc id ad quod obligamur: hoc vero vel objective in-  
tellectum, actionem legis causa necessariam, (officium  
proprie dictum) vel subjective consideratum, liberæ vo-  
luntatis ad legem servandam nisum (qui virtutem con-  
stituit).

libus, locis ac temporibus *b)* peculiare esse cum defectus  
 tum laudes morales, indubia testetur experientia *c)*; et  
 varia instituta, civilia, religiosa, litteraria ac pædagogica,  
 quibus omnibus uti posse ab uniuscujusque hominis ar-  
 bitrio haud pendet, ad mores formandos esse necessaria,  
 omnes consentiant rei moralis doctores. Quæ contradictio  
 in vulgi quoque de culpa hominum judicii: quotidianis  
 locum habet. Solet nempe vel atrocissima facta a causa  
 quædam externa et fortuita derivare, sed auctorem tamen  
 eorum a culpa et poena liberandum esse haud censere.  
*Deinde*, Virtus ut animi honestas, summa quidem habetur  
 naturæ humanæ laus, sed sola tamen, sine prudentia et dex-  
 teritate, ad hominum societatem vel conservandam vel  
 perficiendam haud semper sufficere observatur: hæ autem  
 sine illa sapius civitati et generi humano egregie inservi-  
 erunt *d)*. *Tum*, scientia ipsa de officiis aut tota incerta est,  
 cum

- b)* Sic apud Romanos Appii erant superbi, Valerii populares.  
 Sic Sinenses astuti, Negri candidi, Galli gloriolæ, Batavi  
 pecuniæ cupidiores vulgo habentur. Sic fortitudo uno  
 ævo, humanitas altero præcipue floruit. Atque propen-  
 siones ad certa vitia et virtutes congenitas esse, frustra  
 negant, qui honesti causam in periculum vocari, si id  
 affirmaverint, timidiusculè opinantur.
- c)* Quid res circumstantes in mores valeant, inter ceteros o-  
 stendit FEDER Untersuchungen über den menschlichen  
 Willen 2. Th. et MONTESQUIEU Esprit des loix L. XIV,  
 &c —
- d)* Sc Ludovicus XVI Galliæ Rex honestissimo consilio rem-  
 publicam perdidit: Augustus autem astutia et sævitate  
 orbem salvavit Romanum. Similiter Ericus IX, pietate et  
 iustitia excellens, jugum firmavit, quo hierarchia Sveciam  
 oppressit; Carolus autem IX, e subdito seditioso rex plus-  
 quam leverus, et a superstitionis papisticæ et ab oligar-

cum multa, quæ honesta natura videntur, temporibus fiant non honesta, aut longa saltem et difficili eget ingenii humani cultura, cum non philosophi tantum de principiis et collisionibus officiorum perpetuo contendant, sed conscientia etiam hominum agentium non raro aut dubia aut erronea sit. *Postremo*, si vel cogitatio honestum a turpi recta distingvat linea: experientia tamen neque certam, neque æqualem, neque puram ostendit virtutem, sed et ambiguam et diversam in diversis ingeniis, et cum vitiis adeo commixtam, ut vix ita pravus ullus sit mortalium, quin aliquid boni, vel ita honestus, quin aliquid mali in eo reprehendatur e).

Omnes autem contradictiones illæ ita solvi posse nobis videntur, si inter *virtutem*, ut liberum honesti studium, et *virtutes*, ut habitus honestos, discrimen observetur. Hac est res, quam pagellis sequentibus ostendere instituimus, specimen edituri industriæ academicæ, muneri simul, quod gerimus, consentaneæ.

§. 2.

*Virtutem a virtutibus ita distingvimus, ut illam intelligamus esse: Totius Animi, per se cogitati, liberum et*

A 2

con-

---

chiæ imminente vi patriam denuo liberavit. Comparet quoque Philippum Macedoniæ regem cum Dario Codomanno atque in Gallia Ludov. XI cum Francisco I.

e) "Da mihi quemcunque vis *magni nominis* virum. Dicam, quid illi ætas sua ignoverit, quid in illo sciens dissi-  
maverit. Dabo multos, quibus vitia non nocuerint, quosdam quibus profuerint. Dabo inquam, *maximè famæ*, et inter miranda propositos, quos, si quis corrigit, delet. Sic enim vitia virtutibus imixta sunt, ut illas secum tractura sint. *Seneca Epist. 124.* Exempla sunt *The- mistocles, Alcibiades, Cæsar &c.*

*continuum studium se ipsum (in omnibus suis actionibus et externis et internis) cum lege rationis (vel conscientiae) conformandi; sive diligentia voluntatis id, quod rectissimum est, semper et cognoscendi et desiderandi et efficiendi. Has autem definiamus esse: Habitus diversarum virium, in animo apparentium, diversas producendi actiones, quæ cum lege conveniant.*

Differt itaque virtus a virtutibus: *Primum* in eo, quod cum hæ in diversis animi operationibus, in intelligendo, sentiendo, desiderando, corpus movendo, in quibus omnibus non agit tantum, sed patitur quoque animus, observari possint: illa in uno et originario cogitanda sit actu, quo vult animus, h. e. ad finem sibi conceptum intra vel extra se assequendum sola sua propria agendi facultate libere convertitur. *Deinde*, illa ut studium, quo dignitas comparetur moralis, difficultates oppugnet, necesse est: nunc a naturali quadam vel inertia vel propensione, nunc a cupidinibus adventitiis, nunc ab externis obstaculis oriundas: nam, qui sine contentione omnia recte agit, aut sanctus est ac omnipotens, ut Deus, aut bonus, integer, innocens, ut aurei sæculi homines f). Hæ vero, ut habitus,

---

f) Aut ut juvenis bene educatus, nullisque adhuc tentatus cupidinibus cogitari possit. Qualem v. c. *Emilium* suum usque ad ætatem ejus adultam ROUSSEAU sibi finxit: *Mon enfant*, alumnum suum alloquitur, *il n'ya point de bonheur sans courage, ni de vertu sans combat. Le mot de vertu vient de force. La vertu n'appartient qu'à un être foible par sa nature et fort par sa volonté: c'est en cela que consiste le mérite de l'homme juste; et quoique nous appellions Dieu bon, nous ne l'appellons pas vertueux, parceque il n'a pas besoin d'effort pour bien faire. Pour expliquer ce mot si profond, j'ai at-*

tus, proclivitatem quandam et promptitudinem involvunt. Qua carere potest, qui tamen serio laborans recte agere, ipso jam labore honestus est. Atque sæpe, cujus minores apparent virtutes, ejus major est virtus, cum peiorem emendaverit naturam. *Tum*, virtutem, ut ipsius voluntatis perfectionem, constituit hujus cum ratione harmonia, non rationis cum rebus, quæ cognoscuntur, humanis et divinis convenientia: virtutum autem nomine omnes insigniuntur animi nifus, qui actiones efficiunt, quas fieri debere, exulta hominum ratio censet. *Postremo*, illa non unum vel alterum servat officium, sed ipsum animum cum lege conformatura, omnia colit, si non effectu, saltem consilio. Harum autem aliæ alias gignunt actiones cum lege conformes, atque non una tantum sine altera adesse potest, sed etiam una contra alteram sæpe contendit: bonitas v. c. contra justiciam.

§. 3.

---

*rendu que tu fusses en état de m'entendre. Tant que la vertu ne coûte rien à pratiquer, on a peu besoin de la connoître. Ce besoin vient quand les passions s'éveillent, il est déjà venu pour toi. En t'élevant dans toute la simplicité de la nature, au lieu de te precher de pénibles devoirs, je t'ai garanti des vices, qui rendent ces devoirs pénibles; je t'ai moins rendu le mensonge odieux, qu'inutile, je t'ai moins appris à rendre à chacune qui lui appartient qu'à ne te soucier que de ce qui est à toi. Je t'ai fait plutôt bon que vertueux: mais celui qui n'est que bon, ne demeure tel qu'autant qu'il a du plaisir à l'être: la bonté se brise et périt sous le choc des passions humaines: l'homme qui n'est que bon, n'est bon que pour lui. Emile T. 4.*

§. 3.

His igitur observatis discriminibus, quæ vera esse neminem dubitare speramus, difficultates supra allatæ sponte dilabuntur. *Primum* nempe, ut momenta earum, ex hoc loco aliter jam apparentia, respiciamus: etsi virtutes naturæ et fortunæ non raro tribuendæ sint, congenita scilicet corporis et animi constitutione, educatione, legibus civitatis, religione, moribus majorum et exemplis cœvorum variisque institutis, quin ipso casu, g) eas formantibus et mutantibus: virtus tamen propria manet animi libere activi, ipsi semper tota imputanda. *Deinde*, etsi his solis externus finis legislationis moralis, ordo nempe, felicitas, perfectio in orbe sensibili efficienda, obtineri possit: illius tamen aliud est pretium certum et immutabile, in eo consistens, quod ipsum animum, per se consideratum, emendet ac perficiat: in quo consistit internus ethicæ legislationis finis. Ut hic sine illo, sic ille sine hoc præstari aliquando potest: uno scilicet a sola libera voluntate, altero vero ab externis etiam rebus pendente. *Tum* ad harum quidem perfectionem et longa et difficili opus est ingenii cultura, ad illam vero non nisi bona et justa voluntate; atque de officiis eorumque principiis et collisionibus disceptationes et dubia hæc quidem spectant, quatenus hæc cognitione mutantur objectorum sive rerum sensibilibus, secundum quarum indolem et nexum lex sic vel aliter jubet; illam vero non attingunt, quæ a sola subjectiva persuasionem de lege, sive a conscientia, vel recta, vel erronea (modo culpa absit erroris) tota quantà pendet. *Postremo*, de his quidem, quæ in actionibus hominum, earumque causis empiricis, animi scilicet

cogi-

---

g) Quantum e. c. castitas feminarum casui interdum debeat: MARMONTEL narratione morali, *Heuensement* dicta, lepide ostendit.



cogitatis, sensis, desideris, consiliis, sensu vel externo vel interno dignoscuntur, experientiae valet testimonium, quae, et ambiguas et in diversis ingeniis diversas et cum vitiis commixtas eas esse, vere observat: minime autem de illa, quae non nisi idea, sensibilem transcendente orbem, concipi potest: extra omnem jacens sensuum non exter-  
norum tantum, sed interni quoque ditionem.

§. 4.

Quod vero virtus, ita a virtutibus distincta, vana esse umbra multis videatur: id non mirandum est. Eadem enim est illius ac Dei et animi humani ratio: qui etsi vim suam in universo et homine exserunt, ipsi tamen, quatenus per se existunt, omnem fugiunt cognitionem humanam. Ideoque, ut nullum esse deum, nisi ipsam rerum naturam nec ullam mentem, nisi corporis vim organicam, nimii statuunt idearum osiores: sic nullam esse virtutem, nisi sensibus obviam actionum prudentiam, morum humanitatem atque animi affectuum moderationem, vel ex indole naturali vel ex educatione derivandam, multi eorum sibi persuadent. Eodem autem jure etiam corporum existentiam negent: nam ne haec quidem ipsa, sed effectus tantum eorum in animum nostrum, experimur. Male poseunt, ut sensibus apprehendatur, quod non nisi cogitari potest.

Sufficit, ideam virtutis, extra omnem experientiam sita, non posse a nobis non cogitari. Alias enim nulla foret vera libertas, ideoque nulla imputationis moralis absoluta justitia. Nempe discernendum est inter libertatem in actionibus apparentem, et libertatem in voluntate cogitandam. Illa existit, si et in physica hominis potestate fuerit actio, et secundum representationes intellectus, decreta sit atque effecta: cujus igitur effectus ratio suffi-

sufficiens non in sola animi decernendi ac agendi vi, sed et in actionis indole, quam mutare non potuit, et in representationibus, quas sibi ipse non finxit, h. e. in natura extra eum posita, quærenda est. Ad hanc autem requiritur, ut animus ipse, sola sua libera vi, absoluta sit causa actionis et consilii sui. Illa quidem ad *externam* sive empiricam sufficit imputationem, quæ in judiciis humanis ob securitatem civitatis, felicitatem vitæ socialis atque perfectionem animi, se ipsum emendaturi, necessaria est; minime autem ad *internam* sive idealem, quæ eget animus, injustitiam illius haud raro sentiens. Quis nempe conenderit, vel in foro civili jus dici absolutum vel opinionem hominum semper esse justam? Speciem tantum veritatis sequuntur et magistratus et publica vox: nam si vel testatum fuerit non modo factum, de quo judicatur, sed etiam consilium facti: causa tamen consilii ejusque libertas semper obscura et incerta manet. Ne in propriis quidem actionibus conscientia b) ullius mortali-  
lium,

b) An conscientia vel dubia vel erronea esse possit? quæstio est sæpius agitata; quæ autem facile solvi posse nobis videtur, triplici distincta vocabuli significatione. Tribuitur nempe conscientiæ vel *legislativa potestas*, quo sensu eadem est ac intellectus, cujus ope officia nostra e rerum mutuis relationibus ipsi colligimus, atque et dubia et erronea esse potest; vel *obligandi auctoritas*, quo sensu vim rationis legislatoriæ in liberam voluntatem continet atque semper est indubia et recta; vel denique de propria moralitate *judicandi* munus. Hoc vero iudicium duplex est: aut actionem spectat, ejusque cum lege convenientiam; quo respectu conscientia ita et recta et certa est, si persuasio de lege fuerit recta et certa; aut liberam respicit actionis in voluntate causam; quo respectu semper dubia est, et errori obnoxia.

hūm, aut gradus libertatis quæ egerit, aut stimulos, qui ad agendum eam commoverint *z*), perfecte discernere, sui quæ ipsius dignitatem moralem vere censere unquam valet. Unde constat, aut tollendam esse veram et absolutam libertatem animi humani omnemque igitur virtutem inter cetera grata et eximia naturæ vel fortunæ dona habendam, nec nisi politicam et terrestrem rei moralis et religionis usum statuendum; aut ad divinum appellandum esse iudicium falli nesciæ iustitiæ, quæ, libera pendens hominum consilia, unicuique vere suam tribuere, sola valet. Hujus autem appellationis, cujus necessitatem infelicium saltem in terra multitudo sentit, nulla foret ratio sufficiens, nisi absoluta statueretur voluntatis libertas. Hac autem statui nequit, nisi animus, ut ens per se existens et mere intelligibile (Numenon, ab animo in orbe sensibili apparente Phænomeno) distingvatur. Quo facto, etsi hujus actiones vel externæ, quæ in spatio, vel internæ quæ in solo tempore eveniunt, (cogitata nempe, consilia et animi affectus), naturæ tribuendæ sint, voluntas tamen illius ab hujus necessitate soluta, sive libera, manet. Ideoque, præter actionum cum lege convenientiam, de qua vel magistratus vel opinio publica vel conscientia judicat, alia cogitanda est liberæ voluntatis honestas, quæ sola nobis ipsis absoluto jure imputari potest; cujus vero in

B

uno-

- 
- z*) We shall find it extremely difficult with our utmost care and circumspection to know our real motives, as well in general what stock of them we have, as what weighed with us upon every particular occasion. For we seldom attend to our motive at the instant of its operation, and if we recall it afterwards to our reflection, another shall start up in its place. Nor do we know the true weight of our motives before trial. SEARCH (vel verò nomine ABRAH. TUCKER) *Light of Nature*, c. 5.

unoquoque homine mensuram definire nemo valet, nisi ille, qui omnia perspicit quatenus per se sunt: de qua igitur futurum expectandum est iudicium: ut contradictio, qua inter mortales summum jus haud raro summa fit injuria, demum solvatur.

§. 5.

Quamvis autem vera illa et intima perfectio moralis, quæ in ipsa animi liberi substantia cogitanda est, ut *ens* sive attributum entis omnem lateat humanum intellectum: *idea* tamen illius, æque ac Dei idea, practicam habet et veritatem et efficaciam. Sufficit, et ipsam legem a nobis clare et distincte concipi, nec moralem officiorum, quæ illa injungit, necessitatem, nisi sublata physica rerum humanarum et divinarum, quatenus a nobis cognoscuntur, necessitate, negari posse, ut obligatum se sentiat animus noster ad id agendum, quod lex jubet: quo facto liberum se statuit, de ipsa indole libertatis suæ intelligenda æque parum sollicitus, ac de natura viriarum physicarum, quibus membra corporis moventur, examinanda. Facile tamen observans, libertatem suam absolutam in actionibus suis haud consistere, quarum scilicet physicas sive externas causas sibi explicare sæpe valet, voluntati soli eam totam attribuat necesse est; adeoque etiam in ejus cum lege convenientia veram ponat dignitatem moralem. Quod ita fieri, commune hominum confirmat de absoluto bonæ voluntatis pretio iudicium: quæ scilicet sola sese consolantur, optimis consiliis male succedentibus. Neque alia cogitatione vim refellere possunt, quæ non cupiditates tantum, sed etiam intellectus atque experientia eis persvadent: ut arbores, sic homines ad bonam vel malam frugem gerendam natura esse prædestinatos.

§. 6.

Ceterum inter virtutem et virtutes intimum esse nexum, minime negamus. Illa nempe has gignit. E serio et continuo studio honestum colendi honesti nascantur habitus, necesse est: e totius animi ad legem servandam nisu oriri oportet et *prudentiam*, sive habitum facultatis *cognoscitivæ*, quæ agenda sunt, intelligendi: et *justitiam* *k)*, sive habitum facultatis *sensitivæ*, quæ agenda esse intelliguntur, amandi et desiderandi, et *fortitudinem* *l)*, sive habitum facultatis *operativæ*, quæ agenda sunt, non intelligendi tantum et desiderandi, sed efficiendi etiam, non obstante vel labore vel dolore: ut innumeras taceamus species virtutum, in quas genera ista solvuntur, cum pro diversis uniuscujusque facultatis actibus, tum pro variis officiorum et objectis et adminiculis infinite variantes. Quas vero omnes in omni mortali vel sincerissimum fortissimumque honesti studium efficere haud valet. Ceterum observandum est, virtutes esse vel legitimas, si ita loqui licet, a libera matre (voluntate scilicet), vel nothas, ab ancillis, indole ac conditione, genitas: has vero ab illis eo difficilius discerni posse, quo magis illarum quoque educa-

---

*k)* *Justitiam* hic tam lato sumimus sensu, ut etiam officia imperfecta spectet. Hæc vero, æque ac perfecta, non in alios tantum, sed in nosmetipsos quoque coli possunt: ethico scilicet, non juridico respectu considerata. *Justitiam* autem hic loquimur, non externam, quæ in actionibus, sed internam, quæ in animo, h. e. in sensu justitiam consistit.

*l)* Ad fortitudinem etiam quarta antiquis philosophis definita virtus, temperantia scilicet vel moderatio referri commode potest. Forti enim animo non ad patiendum tantum et efficiendum, sed ad moderandum quoque opus esse, facile constat.



ducatio ab ancillis illis pendeat. Ubi autem plurimæ reperiuntur virtutes, ibi etiam multas esse germanas, conijcere fas est; neque vera virtus sine ullo habitu, quæ etiam hominibus appareat, existere potest. Quamvis igitur virtus, non virtutes, veram efficit dignitatem moralem; in has tamen efficiendas omnis hominum educatio *m*) intendere debet, atque his solis boni a malis inter mortales distingvuntur. Eadem, verbo, est in philosophia morali honesti ad mores, ac in theologia christiana fidei ad bona opera ratio. Sed hanc explicandi rem hic non est locus.

---

*m*) Ad virtutes educari et institui possumus, non ad virtutem; ipsi hanc in nobis efficiamus, necesse est. Nulla igitur est in notione educationis moralis vera contradictio; quam tamen multi hodie in eo vident, quod educatio nil agat nisi per causas externas, hæ vero omnem tollant libertatem, qua sublata, nulla sit moralitas.

